



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 116. Legatorum postulata

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

junxitque, Alphonsum armorum potentia, non juris fulcro Regnum occupasse, summumque Pontificem rem sua Majestate indignam egisse, cum exclusis Gallis Filium Alphonsi spurium, qui potius a tanto Regno longius arceri promeritus esset, eidem præfecerit, atque Renatum legitimum Siciliæ Regem per summam injustitiam spreverit; cum tamen id Callistus Papa, quamvis Arragonensis, nunquam efficere ausus fuerit.

Sæcul. XV.  
A.C. 1459.

§. CXVI.

*Legatorum postulata.*

Iidem ergo ad calcem Orationis postulant, ut Pontifex, cum Franci tantam injuriam ab eo passi essent, inconsulte gesta post maturam deliberationem revocaret, necnon Renato regnum addiceret, & Ferdinandum inde propelleret.

§. CXVII.

*Papæ responsum ad postulata Gallorum.*

His auditis cuncti, qui Francis favebant, animos erigebant, nec ausurum respondere Pontificem arbitrati sunt. Verum Pontifex nihil hæsitans, paucis usus verbis: *Audivimus inquit, Oratores regii! quæ pro Renati causa dixistis, non sine accusatione nostra. Nos quæ fecimus in Regno Siciliae consulente Cardinalium Se-*

Qq 4

natu